



# **Diatribes theologicae determinantis casum conscientiae : an Socinianus, a Socinianis, more sociniano baptizatus, ad catholicos transiturus, sit baptizandus ante? : pars posterior**

<https://hdl.handle.net/1874/348028>

DIATRIBES THEOLOGICÆ  
DETERMINANTIS  
CASUM CONSCIENTIÆ:

An Socinianus, à Socinianis, more sociniano baptizatus, ad  
Catholicos transiturus, sit baptizandus ante?


PARS POSTERIOR,  
QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA,  
SUB PRÆSIDIO

D. PETRI van MASTRICHT, S.S.  
Theol. Doct. & Professoris Ordinarii.

*Sustinere adnitetur*

THEODORUS GROEN, Heusda Batav.  
*Ad diem 13. Octobris, horis locoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
Ex Officinâ MEINARDI à DREUNEN, Urbis & Academiæ  
Typographi Ordinarii, ANNO cl<sup>o</sup> lxxvi 1<sup>o</sup>.

*Almidum Reverendis, Pietate ac Eruditione  
conspicuis Viris.*

- D. JOHANNI GROEN,  
D. JACOBO CUOHLINO,  
Linguae Graecae Profess. eximio,  
D. JOHANNI HAMERSTEDE,  
D. PAULO COLONIO S. S. Th.  
Doct. & Prof.  
D. PETRO TIELENIO, L. A. M.
- In Ecclesia Sylve-ducen-  
si Verbi Divini praconibus  
dignissimis, ovium Christi  
Pastoribus vigilantissimis,  
laboriosissimis, non tan-  
tum in theoria; sed & vera  
praxi Theolog. versatissi-  
mis, orthodoxae veritatis assertoribus solidissimis, & contra quos-  
libet adversarios propugnatoribus indefectis, de Ecclesia quam  
optime meritis, quotidieque adhuc merentibus, rerum Ecclesia-  
sticarum longe peritissimis, studiorum meorum Fautoribus, om-  
ni amoris & reverentia genere, dum spiritus hos regit artus, mi-  
hi honorandis, nec non venerandis.

U T E T

*Clarissimo, Doctissimoque Viro*

- D. PETRO van MASTRICHT S. S. Theologiae Doctori,  
eiusdemque facultatis in Illustri Rheno-Trajectina Academia  
Professori solertissimo, Praeceptoris meo dilectissimo, veritatis  
quae secundum pietatem est, instillarori indefesso.

J U X T A Q U E M

*Insigni eruditione, nec non pietate praestantissimo Iuveni. Viro,*

- D. GUILIELMO COPES S. S. Theol. Candidato doctissimo,  
salutaria Evangelii dogmata, dicendi quodam lepore Sylva-Du-  
cis sapius peroranti, in Philosophia & Literatura versatissimo,  
amico unico, nunquam non officioso animo mihi colendo.

*Hanc disputationem Theologicam  
sacram volo*

THEODRUS GROEN,

*Resp.*



DIATRIBES THEOLOGICÆ  
DETERMINANTIS  
CASUM CONSCIENTIÆ :

An Socinianus, à Socinianis, more Sociniano baptizatus, ad Catholicos transiturus, sit baptizandus ante ?

PARS POSTERIOR.

*Pro affirmativa, præcedenti Disputatione, quinque produximus argumenta, supersunt tria, quibus succedet casus decisio, & responsio ad argumenta negativa.*

XVII.



6. **B**aptismus Christianus, non potest conferri, ab eo qui *ne professione* quidem verè est Christianus; & consequenter ita collatus, ipso jure nullus est, adeoque repetendus: sed Sociniani, ne professione quidem verè sunt Christiani; Ergo &c. Ratio antecedentis est, quia talis nullam potestatem accepit conferendi Baptismum, quippe quem Christus solis suis Discipulis commisit. Unde à Muhammedanis, Judæis aut Ethnicis, licet ipsis Christi formalibus, baptizatus, ab omnibus procul dubio, ipsismet adeo Socinianis, censebitur rebaptizandus. Jam verò Socinianos, nisi admodum *καταχρηστικῶς*, Christianos esse ac dici; non tantum apud omnes Catholicos, id est, Pontificios, Lutheranos & Reformatos, certo est certius; seq. & facili

negotio demonstrati potest ; & abunde demonstratum, est, tum à Smiglecio Jesuita lib. 1. de erroribus novorum Ariano- rum ; tum Josua Stegmanno, Photinianismi Disp. 1. Nec non à Theod. Thummio in sua Impietate Sociniana, denique & Illustriß. Belgicæ nostræ Ordines, in suo Edicto adversus O- storodum & Voidovium Anno 1598. ex judicio Theologo- rum Leidenßium, Socinianorum doctrinam, eandem ferme fecerunt cum Turcica. Et sanè, si expendas, negata impugna- raque ab iis, præcipua Religionis Christianæ Capita, & ipsa Christianismi fundamenta convulsa, quæ supra argumento primo, ex parte notavimus, quivis facile agnosceret, eos nil minus esse quam Christianos. Et si nec hoc sufficiat, ex ipsis- met Socinianorum dictis, per analogiam, hoc ipsum facile a- struemus : Si enim Francisco-Davidianos, Sociniani censent, non esse Christianos appellandos, teste Socino in *Fragment. Disput. de Adoratione Christi, contra Franciscum Davidis* pag. 129. his verbis : *Ex quo fit, cum ex supradictis locis pateat idem reipsa esse invocare Christum, quod esse Christianum, & proinde Christianum esse non posse qui Christi nomen non invocet, necesse sit, ut quicumque Chri- stianus merito dici velit, Christum ex animo publice colat.* Et *Catech. Racoviana de Prophet. Christi offic. Cap. 1. pag. 177. Censeo illos non esse Christianos, quippe qui reipsa Christum non habent, & Iesum esse Christum, licet fortè verbis aperte non audeant, re tamen ipsa omnino negant.* Si, inquam, pro Christianis non habent, ob hoc solum, quòd Christum invocandum negent ; nun- quid nos ipsis majori jure Christianorum titulum abrogabi- mus, qui non modo fundamentum adorationis, puta æter- nam ejus Deitatem subruunt ; sed insuper, si non omnia ac singula, saltem pleraque Christianismi fundamentalia capita, seu tollunt plane, seu inficiunt, ut in præcedentibus demon- stravimus.

XVIII. 7. His argumentis εντέλεις, pro ἀτέλειω subjun- gemus praxin Ecclesiæ primitivæ, tempore Tertulliani ac Cy- priani, quam supra designavimus in rationibus dubitandi **Thesi 14.** Nec est quod in contrarium causeris, eos indiscriminatum



minatim omnes hæreticos rebaptizandos sensisse; fortè etiam tantum intelligunt hæreticos sui temporis, qui, si non omnes, plerique saltim, Antitrinitarii fuerunt, ut constat ex iis qui de hæresibus scripserunt. Forte etiam huc faciunt Cypriani verba supra adducta: *Considerare itaque debemus fidem eorum qui foris credunt, an secundum eandem fidem possint aliquid gratia consequi. Nam si fides est una nobis & hæreticis, esse potest & gratia una. Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum S. eandem Ecclesiam consententur nobiscum Patripassiani, Apellionita, Marcionita & cetera hæreticorum pestes. &c.* Indigitare viderur omnes istos fuisse Antitrinitarios, & ob hoc rebaptizandos. Nec hoc tantum; sed & in terminis rebaptizandos decrevit Concilium Nicenum Paulianistas, seu Samosatenarios, eosdem cum nostris Socinianis, Neque etiam objici hic nobis potest dissimiliter ratio, quod Paulianistæ, in suo Baptismo neglexerint formulam Christi: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quam in suo Baptismo adhibeant Sociniani: Nec enim semper usurparunt istam formulam Sociniani, olim enim in nomen Christi crucifixi baptizabant, ut infrâ videbimus; nec necessarium ducunt, istam præcisè formulam adhibere, nec, dum adhibent, alio sensu adhibent, quam quo olim baptizabant in Christum tantum crucifixum, teste Socino ad Articulos Cuthenic: *Nos, inquit, cum Baptismum administramus, vel utimur usitata formula verborum: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. vel simpliciter, Apostolos imitati, in nomine Iesu Christi baptizamus, si quis ex nostris alia formula usus est, est singulare quiddam, quod ipsum nostrum catui adscribi non debet.*

XIX. 8. Pro rebaptizandis Socinianis, urgeri possit praxis Ecclesiæ Catholicæ modernæ. Uno enim ore, & Lutherani & Reformati, exceptis forte Transylvanis, rebaptizandos statuunt Socinianos. E Lutheranis enim testes esse possint. Franc. Balduinus *Cas. Conscient.* lib. 2. Cap. vii. Ægid. Hunnius *Disput. Marpurg.* Disputat. xi. Joh. Gerardi L. L. Tom. iv. Loc. xxiii. §. 26. pag. 816. E Reformatis Celeberrimi quondam præceptores mei, Gisb. Voetius *Polit. Eccl. part. 1.*

lib. 2. Tract. 2. Cap. 1. & D. Joh. Hoornbeekius Socin. Confus.  
Tom. 111. Cap. postremo, nec non in Apparatu.

DECISIO.

XX. Pro decisione quæstionis, ante omnia monendum, quod facit Celeb. Hoornbeekius in Apparatu, hujusmodi negotia multum moderari solere à prudentia Ecclesiastæ, adeoque cautè ac diligenter considerandæ veniunt sequentia: 1. Socinianus nostræ, sitne baptizatus in infantia, an verò in adulta ætate ac mente, cum agnitione ac professione hæreseos, aperta & explicita? 2. Baptizans, fueritne simpliciter Socinianus; an cum gradu, Francisco-Davidianus, qui Christum invocandum negans, citra Christi invocationem, Baptismum peregerit? 3. Ecclesia, in qua Baptismum Socinianus acceperit: anne talis, quæ omnia ac singulâ Socini dogmata receperit doceatque. Item, an acceperit in Ecclesia Orthodoxa, a Ministro clam Sociniano, in quo casu Baptismum repetendum negant Lutherani, Hunnius & Gerardus L. L. citatis, item Præcænerus Manual. Cent. V. quæst. XLIV. hoc argumento: quod Baptismus sit bonum Ecclesiæ totius; non solius ministri, quibus ad stipulatur Cel. Voetius loc. citat. 4. Baptismi formula, sitne videl: baptizatus in nomine solius Jesu, quæ formula olim apud Socinianos erat recepta, postmodum auctoritate Sereniss. Transylvaniæ Principis, jussi sunt solam adhibere Christi formulam: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Non ad hoc modo, ut hoc minus dura ac difficilia Sociniani de se experirentur aliorum judicia, etiam Politicorum; sed ad hoc forte potius, ne usitatâ Christi formula tincti, si quando ad Orthodoxos transfirent, denuo baptizari necessum haberent. His & similibus probe expensis, prudentia primitivæ Ecclesiæ, analogicè adhiberi poterit, ut quemadmodum illi Arianos aliosque, licet Antitrinitarios receperint, vel sola impositione manuum, vel inunctione olei. Justel. Can. cvii. Paulinianitas autem iterato Baptismo; ita & nos, pro re nata, Socinianos alios recipiamus sola publica ejuratone hæresos & professione fidei orthodoxæ; aut alios addito insuper Baptismo.



XXI. Dein secundò observandum, decisio: em quæstionis, dependere potissimum à determinatione duorum istorum:  
1. Num Baptismus in Ecclesia, tali collatus, quæ fundamentalia subruit Christianismi, vel pleraque, vel aliqua, sit ratus? Quare caute dispiciendum, an, & quousque id faciat Ecclesia, hæc aut illa. 2. An Baptismus sit verus & legitimus, qui licet corruptus, cum aqua pura, usurpat ordinariam Christi formulam: *in nomine Patris, Filii & Spiritus-S.*? Affirmat cum Concilio Arelatensi: Augustinus: Negat Athanasius, item Balduinus, confer Vossium *de Baptis.* & Balduin. Et affirmativa quidem solius fundamento, Orthodoxi Transylvani Socinianos, citra rebaptizationem, secuti primitiva Ecclesiæ praxin, admisere. Addit etiam Celeb. Voetius loco citat, hoc temperamentum; absque magna difficultate à Baptismo, Ante-Trinitariis, ad nostras Ecclesias transiuris, abstineri, & quæstionem tantisper in medio relinqui posse, dum peterent ad Sacram Synaxin admitti, tunc enim necessariò determinandum esse; sintne baptizati nec ne, verum nullas addidit rationes.

XXII. Pro decisione igitur, salva meliori sententia: existimo, saltem Baptismus in Cætu Sociniano omnia ac singula Socini dogmata probante ac docente, cum manifesta eorundem agnitione ex professione acceptum, nullum esse; atque adeo baptizatum, per eum, extra terminos Christianismi ad hucdum constitutum; ubi ad Fidem & Ecclesiam reformatam accedit, tumdemum Baptismus Christi accipere debere. Verba sunt Cel; Hoornbeekii in *Apparatu ad Controv. Socin.* Idque propter rationes pro sententia affirmativa jam ante allatas, quippe quibus non tam proclive est solide occurrere, ac quidem rationibus pro negativa, prout patebit è subsequentiibus.

*Responsio ad Argumenta Negativa.*

XXIII. Igitur ad argumenta Negativa, sic respondemus: Ad primum quidem; à Pontificiis absque rebaptizatione recipiendis, ad Socinianos concludere, propterea non valet: 1. Quia Pontificii, licet cum multis quibuslibet, pleraque retineat



rent Christianismi fundamentalia : sigillatim SS. Trinitatem, Satisfactionem Christi &c. Quando interim Sociniani, si non singula, pleraque saltem, aut tollunt, aut pervertunt fundamenta. 2. Baptismi essentialia retinent, licet plurimis ritibus superstitionis conspurcata: dum contra Sociniani, ipsa Baptismi essentialia tollunt, ut vidimus. 3. Quod idololatriam attinet; ea quidem apud Pontificios varia obtinet & valida; est non minor apud Socinianos, qui non tantum pro vero Deo infinito, immutabili, omniscio, Patre, Filio ac Spiritu S. non nisi fictitium quoddam idolum colunt & invocant; sed & Christum, quem pro mera creatura habent, adorandum docent, contra Christum Matth. 17. 10. & Paulum Gal. 14. 8.

XXIV. Ad *Secundum* respondemus: quod Baptismus, à laicis & Mulierculis, saltim in casu extremæ necessitatis (ut ipsi loquuntur) apud Pontificios ac Lutheranos collatus, quamvis sit corruptus ac vitiosus; forte tamen non sit prorsus nullus, eo quod laici & Mulierculæ, in tali casu, agant auctoritate Ecclesiarum istarum delegata. Est enim Baptismus bonum Ecclesiæ, non Ministri solius. Quoniam igitur Ecclesiæ delegantes, in fundamentalibus; vel omnibus, vel plerisque, ac præcipuis saltem, sunt sanæ; Baptismus eorum non potest non esse ratus: contrarium autem, dum deprehenditur in Socinianis, quando pleraque, ac præcipua etiam Christianismi fundamentalia, vel ejurant, vel pervertunt; non licebit, ab illis citra rebaptizationem receptis, ad hos concludere.

XXV. Ad *tertium* argumentum dicimus 1. Æquivoca Christianismi professio, externa Ecclesiæ facies, quaecunque Ministerium verbi, & cætera quæ in argumento exprimuntur; non sufficiunt ut Ecclesia fiat vere Christiana, atque adeo Baptismus ratus: quia aut nulla fundamentalia habent, aut pluribus ac potioribus carent. 2. Socinianorum Baptismum in ipsis laborare essentialibus, ut supra demonstravimus. Falsa enim est hypothesis, applicationem aquæ, præstare integrum Baptismi materiale; formulam vero: *Baptizo te in nomi-*

*no. Patris, Filii & Spiritus S. ejus formale, ut è superioribus constat. Ad producta Patrum testimonia, penes argumentum quintum respondebimus.*

XXVI. Ad *quartum*, negatur rebaptizatione Sociniana talis, restitui Anabaptismum ab Orthodoxis in Mennonitis condemnatum profligatumque: sed tantum vero ac genuino, nunquam baptizatum, tingi. Est enim ipso jure nullus, nec alio loco habendus, quam qui ab Athanasio per lusum olim fuit collatus.

XXVII. Ad *quintum*, ab antiquitate desumptum, reponimus: 1. Non Arianos tantum; sed Arianis multo deteriores, ut Manichæos, Marcionitas, Praxeanos, &c. non rebaptizabant nonnulli ex iis. Unde Hieronymus adversus Hilarium disputans; postquam infanda hæresium nomina, Simonem Magum, Menandrum, Basilidem, Nicolaum, Saturninum, Ophitas, Choitas, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, cæterasque pestes (quarum plerasque ne ipsi quidem Sociniani admittent) retulisset, subicit; *Et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.* Nec tamen existimem futurum qui statuat, apud execrables, & plus ferme quam belluinas hominum istorum coitiones, Baptismum fuisse nunquam repetendum. 2. Photinianos citra rebaptizationem, à Concilio fuisse receptos, sunt qui negent, teste Vossio de *Baptis. disput. xx. §. 2. Synodus hac celebrata est in Phrygia pacatiana Anno ccclxi v. Aliqui tamen censent habitam ante Concilium Nicenum, qui itcirco de Photinianis delere jubent.* Sed fac Laodiceam Synodum, Photinianos citra rebaptizationem admisisse; non tamen id nostris Socinianis rectè applicarerur, eo quod Photinianismus non dimidiam partem habuerit istarum hæresium, quas habet Socinianismus noster. 3. Nec hic exemplis, aut statutis humanis, qualibuscunque, est vivendum; sed præscripto verbi divini.

XXVIII. Ad *postremum*, quod praxin attinet Ecclesiarum Transylvanicarum, Socinianos absque iterato Baptismo admittentium. 1. Dispiendum esset quo consilio, quibus



motivis ac rationibus ; quibus item legibus seu conditionibus ac cautelis, id agant, ex quibus responſio multum dependet. Dein 2. & hic obtinere poſſit: non exemplis ; ſed legibus judican- dum. Hæc omnia falvis melioribus.

## Corollaria Respondentis.

1. **A**N Jeſus Chriſtus carnem ſuam ex Maria aſſuſerit, an vero eam ex cælo attulerit? affirmatur prius, & negatur poſt. contra Anabaptiſtas alioſque.

11. An communio ſub utroque elemento laicis, quos Pontificii vocant, nec neceſſaria ſit; nec licita, ſufficiat autem iſdem ſolus panis? negatur contra Pontif.

111. Libri nonnulli quos Pontificii pro Canonicis recipiunt, minime pro talibus habendi ſunt.

1V. Universalem reſurrexionem aliquando certo futuram eſſe ro- zunde aſſerimus, & quidem iſſidem corporibus, contra Socinianos.

V. An aſcendurus Chriſtus in Cælum, corpus illud depoſuerit, & cum alio ſpirituale permixturum? an vero illud ipſum in Sacrarium Cæleſte intulerit, in eodem rediturus tandem viſibiliter ad iudicium? aſ- firm. poſt. & neg. prius: contra eoſdem.

VI. Chriſtum ſecundum humanam naturam ubique eſſe, falſiſi- mum eſt, contra Lutheranos, ut & in multis diſtinctis terra locis ſi- mul, contra Pontificios.

VII. An licitum ſit jurare? Reſp. negarunt id olim Eſſai: etiam Chriſtianis? negant hodie Anabaptiſte, ſed nos dicimus non tantum ſub Vet. Teſtamenti; verum etiã ſub Novo Teſtamento juramenta eſſe licita.

VIII. Mendacium officioſum nullibi permittitur, nedum commen- dat ſcriptura.

IX. An martyres mille annis reſurrecturi ſint ante univerſalem re- ſurrexionem mortuorum, & an in hoc mundo regnaturi cum Chriſto? Negatur.

X. Pontificiorum purgatorium eſt ſigmentum, Scriptura plane ig- num.

XI. Autocheiria plane est illicita.

XI I. An anima fidelium Veteris Testamenti delata fuerint in ipsum Caelum? affirm. contra Pontif.

XI I I. An in casu necessitatis aliis quam ministris verbi, puta obstetricibus, aliisque plebejis baptismum administrare liceat? Negatur contra Pontif. & Flaccianos.

XIV. Quod de Enocho dicitur Genes. 5. 24. ambulavit cum Deo & non fuit, quia tulit eum Deus: וַיֵּלֶךְ עִנֹכַח אִתּוֹ אֱלֹהִים & Apostolus Paulus Hebr. cap. XI. versu 5. μετέθετο τὸν ἑαυτοῦ σώματος, διὸν μετέθηκεν αὐτὸν Θεός significant singulari ratione eum à Deo in hac vita sublatum, non vero mortuum: Similiter Elias, quos Candidatos aternitatis Tertullianus appellat: istum forte in modum quo ultimo die superstites, mutandi dicuntur, non vero morituri I Cor. 15. 51. & 52. πάντες μὲν & κοινήμεθα, πάντες ὃ ἀθάνατοίμεθα.

XV. Falsissimum est dogma Pontificiorum statuentium aliquos liberos perisse ex Canone.

XVI. Non est verosimile, imo nec probabile, Mariam à Spiritu Sancto impragnatam, postea carnaliter fuisse cognitam. Contra Helvidianos.

XVII. An ministris Ecclesiasticis permittum sit matrimonium? affirmamus contra Pontif. An mortua priore conjugē, usdem ad secundas nuptias transire sit promissum? affirm.

XVIII. An Christus tempore quadragesimalis jejuni in Caelum ascenderit ut ibi de doctrina hominibus patefacienda, edoceret? negatur contra Socinianos.

XIX. Nomine Babylonis illius magna, cujus mentio fit in Apocalypsi cap. 14. Roma designatur.

XX. Non est licitum homini corpus suum in religione incidere & flagellare. Contra Pontif.

XXI. An anima Christi post mortem è vestigio descenderit ad limbum aliquem patrum? Neg. contra eosd.

XXII. An fuerint rebaptizandi qui à Johanne baptizati fuerant? Neg.

XXIII. An aliquis in hac vita perfecte legem Dei implere possit? Neg.



*Neg. contra Pontif.*

XXIV. An infantes Christianorum & Federatorum, non expectata eorum aetate adultâ, sint baptizandi? an vero nemo baptizandus nisi jam adultus? *neg. post. & affirm. prius contra Anabapt.*

XXV. An liceat homini Christiano Magistratum sustinere? affirmatur, contra Anabaptistas: an liceat supplicia capitalia exercere? affirmatur contra eosdem.

XXVI. Verum Messiam nempe Jesum Christum; olim patribus promissum, jam dudum in hunc mundum venisse contra Judæos dicimus.

XXVII. An baptismus absolute sit necessarius ad salutem? *Neg. contra Pontif.*

## Problemata.

1. An Apostolus Petrus fuerit unquam Romæ? *Resp. inclinamus in negativam sententiam.*

2. An Apostolus Paulus sit auctor Epistolæ ad Hebræos conscriptæ? *Resp. affirmativam sententiam amplectimur cum Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Paræo aliisque.*

3. An Jephtha immolavit suam filiam? *Resp. negativa sententia ab Piscatore aliisque præfertur.*

4. An Johanna papilla fuerit in rerum natura, quaestio est vexatissima, negativam plurimi amplectuntur Pontificii, nos vero affirmativam.

F I N I S.